

45

1501. E

2

NYMPHÆ GRYPHOSYLVANÆ

τοῦ νεογάμου

Dn. AVGVSTINO

RHAVO I. U. DOCTORI

Inchyta Gryphisw. Academiæ
Professori

Ill.mo Principi Pomeraniæ Dno,
Dno. PHILIPPO IULIO, &c.

â consilijs:

Et

Leçtissimæ virgini

M A R I Æ

DN. HERMANNI VVEST-

PHALI I. U. DOCTORIS

Ill.mi Principis Pomeraniæ Dni.
Dni. PHILIPPI IULII, &c.

Consiliarij primarij

Hereditarij in MiltLow, &c.

filia;

loquentes

introducæ

â

CHRISTIANO MASCOVIO S. P.

GRYPHISWALDIÆ

Typis Augustini Ferberi, Anno 1599.

hala 633

ATTEST
M. A. GYLLMO
NOTARY PUBLIC

M. A. R. I. N.

NOTARY PUBLIC

NOTARY PUBLIC



Um festiva novis dicam modo carmina
sponsis,
Vel potius monitis obsequar Harpo-
cratis,
Ambigo: Fortune varios ubi pondero
cursus,

Huc illuc mea mens fluctuat usq; vaga.
Namq; modò me spe non certâ lactat inanis,
Et modò laticiam miscet amaritie.

At posito tandem sumamus gaudia luctu,
Sæpe creat morbos cura retenta graves.
Nympha, noster amor, Lybethrides jam mihi carmen,
Quale olim Cadmo, cedite, justa peto.
Huc Charites, ò terna jovis, succedite, proles,
Iam quoque tale mihi pangite, quaeso, melos.
Ille notus primus Graijs signare Papyrus,
Et scrutari aris fulva metalla, dedit.
Noster at excellens hic nomen Sponsus ademtum
Ex juris solidâ cognitione tenet.
Consiliis aulam regit hic Ducis atq; PHILIPPI
IULI, & DOctoris munia publici obit.
Vix ea fatus eram, quando mihi magna caterva
Nympharum umbrosa nubis ad instar adest.

*Omnes non novi; cum Pallade dia Thalia
Visa mihi, Euterpe, & cum Venere Euphrosyne:
Nec fallor: postquam propiore gradu allabuntur,
En video, atque aliquid murmuris aure bibo.
Ardesco sitibunde astans, en Pallada vidi
Prodire, & tales ore referre sonos,*

P A L L A S.

CHari Parentes, Dijs, & Apollini
Chari parentes, & Lybethridibus
Chari parentes, chariores
Attamen omnibus ô Parentes
Nobis: Beati terq; quaterq; quod
Videre vobis cunctipotens dedit
Sponsum hunc profectum vestro inire
Sanguine jura thori: Beati.
O R H A V E Doctor, quo tua carmine
Cultissimo præconia proferam?
Cedò, quot annis præfuiſti
Strenuus his Academiæ umbris?
Celebre semper nomen erit tibi
Ludo in celebri Leucoris, unicè
Dilexit in quo te Melanthon
Ille, Heliconis aquam propinans.
Dic, quæſo, quondam quod tibi Principes
Salarium celsi Pomeraniæ

Solvère? dic mercede jam quâ
Pendirur illa tibi fidelis.
Imbutio illorum? Hem, quibus efferam
Dictis tuas Sponsi GENitrix novi
Laudes? quibus nomen celebrem
Versibus egregium tuum, dic?
O, artis ingens ÆsculapI decus,
AUGSTINE SCHURFI, si thalami tibi
Iam contigisset contueri
Gaudia grata parare Gnatam
Tuam suo Gnato. O HYERONIME
Præclarum Asylon, clare scientiæ
Legum, dedissent si docentem
Fata videre tuum hunc nepotem.
Quid pluribus? Virtutibus omnibus
De fœmininis quid referam pia
O Mater antestans quibusvis?
Quis numerabit eas? meherclè
Nemo, quia omnes exuperant maris,
Si computentur, pervij arenulas
Velisq; flores veris omnes
Cunctaq; sydera celsi olympi.

THALIA.

VOs quâ, qui Neonympham genuistis hanc,
Dignâ laude feram? Haud infima gloria

Clara Progenièi WESTPHALICÆ, decus
Virtutum atq; vigor, Consiliarios
Inter præcipuos, inter & optimos
Qui non jure tenes exiguum locum
IULI Pomerici, WESTPHALÆ, Principis.
Te postquam genuit Gryphiadum nemus,
Et postquam ingenuis artibus imbuït,
Excepit schola te Leucoris inclÿta,
Instruxit schola te Leucoris iuclyta
In castris Themidos. Deinde Lovanium
Ascraïs veniens labra rigatus es
A Musis. Biturix post celeberrima
Est amplexa suo te gremio, viris
Clare HERMANNE fovens te celeberrimis;
Quos CUJACIUS inter minimum locum
Astrææ ore potens non sibi vendicat.
Quid? tandem, meritò, insignia detulit
Doctoralia, nectens tibi flosculo
Fragrantem viridi Clara coronulam.
Hinc te castra vocant Patria, dedita
Musis, te sitiunt pulpita inania:
Percepere tuos ingenij ast ubi
Hæc dotes iterum te aula vocat Ducis
ERNESTI inde, tuo consilio regi
Gliscens: Falsa nec est. Namq; negotijs
Mirè sentit opes in gravibus tuas.

Sed

Sed tu conspicuæ quale Pudiciæ
Carmen, quæso, decus, CLINCOVIO fata,
Sat dotes referet, nobilitat, tuas,
Te Splendor generis, te eximiæ fatis
Virtutes decorant: Nulla potest eas
Nympha, aut Musa canora, aut Charitum soror
Plus efferre: tuam nubere filiam
Gaude huic Iureperito mage conjugii.

E U T E R P E.

CLare Vir, Iuris bifidi columna
Fulgens Gryphiadum decus,
Iam tuæ laudis reticeret ampla
Quis præconia maximæ?
Dum tibi bellam thalamo Puellam
Iungis, Sponse bone, optimis
Dotibus felix animi, replete
Clarijs fontibus affatim.
Castra sectatus teneris ab annis
Phœbi, Legiferæ & Deæ.
Unica evoluisse tibi Platonis
Chartas, adde philosophi,
Cura: tum virtus tibi Tulliana
Præclarum eloquium dedit.
Insper rivos bifidi latentis
Iuris ducere fontibus

Ex Them istæ ipsiſtudium tibiq̃;
Cura eſt unica & unicum.
Teſtis eſt Albiſ, tua qui corollâ
Cinxit tempora floridâ,
Teſtis eſt Muſæ invigilans juventa
In caſtris modo Gryphicis
Teſtis eſt celfi Ducis aula IULI,
Quam tu conſilio regis.
Albiſ ô doctâ quoties palæſtrâ
Vidit te eximij tui
IngenI exercere benigna dona,
Atq̃ue illa opſtupuit videns.
Ludus hic Gryphonum eadem videbit
Olim, ni modo jam videt,
Aula pollentem Pomerana multum
Te jam conſilio videt.
Sed tuas, juris bifidi columna
Fulgens Gryphiadum decus
RHAVE, quascunq̃; enumerare laudes
Nemo carminibus valet.

V E N U S.

Quaſlibet pupas dominariſ inter
Dotibus pulchris, facie, pudore,
O Decus, claro patre nata dia
Sponſa Maria.

Cui

Cui dedi cunctas egomet decentes
Virginem dotes, roseum nitorem,

Cui figuravi faciem, os, ocellos,
Labraq; rubra.

Est tibi mentis vigor, est sagacis
Ingeni virtus, facies pudica,
Os verecundum, probitatis almae
Blanditiarq;

Frontis en quaeso vigiles ocellos,
In quibus florens habitat VENUSTAS,

Labra rubenti tua sunt colore
Undiq; tincta.

Sunt tibi molles digiti, tibiq;
Candidum pectus, vegetiq; crines,
Sunt manus quovis niveo Ligustro
Candidiores.

Sed tui dotes animi pudici
An magis laudem eximias, magisúe
Corporis formam celebrem celebrem
Hæreo: Casti

Namq; (qui dos optimus est) pudoris
Laude, formâ ac ingenio, & modestis
Moribus cunctas superas puellas
Dia Maria.

B

Euphro-

EUPHROSINE.

GAudete ô lepidi mei lepores,
 Gaudete ô sociæ meæ sorores,
 Gaudete ô lepidum meum leporem
 Gaudete ô sociam meam sororem
 Gaudentes Hymeneium parare
 Gaudium, alterius doloris alter
 Ut solatiolum fit, & jocari
 Quo cum sit licitum, & graves levare
 Curas, transigere & dies amaras.
 Sponse, Cura Deum tibi quem agellum
 Largitur, colito, tibi hinc resurget
 Post lapsum numerosa messis annum.
 Huc præfisciné ades columbulilla,
 Huc pulchella Puella, Turturilla.
 Sponsæ, sponsule, basiationes
 Da centum rosidas, deinde mille.
 Sponso, Sponsula, mox tuo vicissim
 Tot da basia, mille & usque mille,
 Quot nec pernumerare curiosus
 Possit, nec malus invidere vobis.
 Vinculis vos Adamantinis ligate,
 Ut muris hederæ tenaciterq;
 Hærent, nexibus implicantq; sic vos,
 Ni tenacius arctiusve quicquam

Sir,

Sit, amplexibus invicem ligare
Mille: Sponsæ Adamas sit, aut Smaragdus,
Quem gestare nequit salax adulter,
Sponsus: Sponso iterum sit aut Berillus
Sponsa, aut Margaris, unio aut, Berillo est
Aut si quid preciosius, Berillo est
Aut constantius, elegantiusve,
Si quid deniq; pulchrius Berillo est.

HÆc sunt, si memini, Nympharum carmina, quæ jam
Iudicio mitto, Sponse, notata tuo.
Quod si cum reliquisq; tuis tibi RHAVE placebunt,
Letificabuntur munere quæq; suo.
Aurea dent alij cum fulvis pocula gemmis,
Carmina Nympharum sint modo dona, tenes.
Querat, utri te jam majori munere donent?
Aurea sunt equidem secula nostra scio:
Sed tamen ætatis ratio si major habenda est,
Nominis & fluxas gloria vincit opes.
Nympha tenet palmam: franguntur pocula casu,
Cum domino gemma divitiâq; latent.
Carmina morte carent, varijsq; leguntur in oris,
Hoc ergo nullum munere majus erit.

Nunc mea cum Nymphis conjungens vota, precesq;
Conjugio exopto prospera fata tuo.

Atq; maritalis felicia gaudia lecti
Gratulor, & sponsæ prospera cuncta tua.
O animi felix, ô toto ex asse beatus,
Cujus in amplexus talis amica venit.
Quam pariter decorant mores, quam forma venusta
Ornat, cui dives copia sortis adest.
Connexæ manibus Charites & mutuo amantes
Vnanimi perstent fœdere pro thalamo.
Assideat vobis castus sua stridula jungens
Turtur concordi cum pare rostra suo.
Hic vos officijs doceat certare vicissim,
Hic certare pari monstret amore modum.
Nascantur nati, nascatur turba nepotum,
Quæ canat ante torum: lusitet ante focum.
Desuper immineat, quæ tegmina præstet, oliva
Palladis, hæc dulcis pignus amoris erit.
Hanc super insidens vivendi tempora longa
Significet cornix, Nestoreosq; dies.
Tandem hæc cuncta suis supra amplexatus ab alis
Compingat nexu Spiritus ille sacer.



Sequun-

SEQVUNTUR ALIA ALIORUM

carmina, ipsam consecrata.

SI mea vestirent genuini carmina flores,
Et mihi compta habili vena lepore foret;
Te modò prolixo cantarem carmine, colla,
AUGUSTINE, sacro docta ligande jugo.
Nam tua sic virtus poscit, doctrina meretur,
Postulat excellens ingenijq; vigor.
Nempè triumphalem laurum capiti induit alma
Leucoris, & tribuit digna brabea, tuo.
Te Consultorem agnoscit Wolgastidos Aula,
Et decus in primis gaudet habere viris.
Teq; audit Themidos profitentem inventa juvenus,
Quam fovet Aonijs Gryphica sylva jugis.
Munia & eximijs ornas virtutibus istæc,
Dum licitæ vero laudis amore flagras.
Fœdera & amplexus modò connubialia rides
Somnia Romani perniciofa Patris:
Siq; mea æquaret Nasonis Musa Thaliam,
Et largo fluerent carmina nostra lacu.
Te modò cantarem, docto dignissima versu,
Sponsa, thori claro lege juganda viro,
Nam tua sic Pietas, & famæ poscit honestas,
Quam castæ attribuit virginitatis honos.
Sic nivei poscunt mores, pulchræq; caterva
Virtutis, cujus tota lepore micas.

Sic tua forma jubeat superans notum ampliter ignem,
Qui largâ exedit Troia tecta face.
Sic atavæ stirpis frondescens postulat arbor,
Et meritis clari laus generosa patris.
Quem sua nobilitat virrus, benè nora per urbes,
Balthica quas falsis alluit unda vadis:
Sed quia deficiunt me pronæ in carmina vires,
Me reprimo, & doctis ista relinquo viris.
Et tamen hæc aliquid quia virtus vestra meretur
Carminis, hæc vestro paucula pango thoro.
Qui liciti primus firmavit fædera lecti,
Et binos una vivere carne jubet.
Muneribus thalamum vestrum fœcundet, acerba
Ad procul Anticyras & fuget inde mala.
Vestris adsit Amor divino munere tectis,
Luctifera & Gyaris longius absit Eris.
Ut Phœnix longæva, viget fœcundaq; vitis,
Atq; pari semper turtur amore calet:
Vestra ita vivacem (sed ab omni parte beata)
Imprecor, ut superet vita superstes avem.
Et mensam cingant imitantia pignora vitem,
Unde Dei regno crescat habenda cohors.
Vestra columbinus sic pectora colliget ardor,
Irarum extinguit qui redamando faces,
Sufficiat panxisse thoro breviam ista novelli
Comparis, Hæc clemens fac rata vota Deus.

Reddi.

REDDITIO Psal. 128 ejusdem.

OMnes divinæ felices dotis habendos
Quis negat, ex animo qui sacra fata timent?
Solius inq; vijs torquent vestigia Iovæ,
Non turæ exosi perdita tesqua viæ.
Læticijs cumulatus ova, duc mente triumphum,
Talia qui Domino munera dante capis.
Nam tua te manuum fatiabit parta labore
Esca; tibiq; operâ præmia digna feres.
Vivificis tua dum compagibus ossa regentur,
Obvenient pleni prosperitate dies.
Fœta tibi similis jungetur vitibus uxor,
Quæ ramo cingunt luxuriante domum.
Ceu fructus ramos cingunt frondentis olivæ,
Cum læta æstivo tempore messis adest:
Sic tua adornabunt longo ordine pignora mensam,
Pulchellis quæ te moribus exhilarent.
Tanta Deus confert supremo dona favore,
Cui flagrant Domini corda timore, viro!
Quin Deus in superis curat te providus arvis,
Et tua multiplici tecta salute beat.
Ut tibi contingat Solymæ lustrasse vigorem,
Mens donec vivæ tegmina carnis habet.
Et tibi proluxa generentur stirpe nepotes:
Ifaci cumulet pax generosa domum.

Honoris causa f. Iohannes Vanke Gr.

ODE

ODE NUPTIALIS.

Ad eundem.

EST certè eximium decus
Uxor, moribus ornata venustulus,
Id sicut sacra Biblia
Et Psalter celebri carmine comprobatur:
Nec non immemorabilis,
Iesseo, λόγος, è sanguine qui satus,
Festivo Galilæida
Vultu tendit in urbem cupidissimus,
Ut convivæ epulo afforet
Eius, qui thalami festa paraverat.
Sponsis explicat & novis
Mentem, vertit ut in vina liquentia
Undam, munera splendida
Dans illis, quibus & sat probat, admodum
Se curare fovereq;
Conjurata thori vincula amabilis.
O ergo nimis aspero
Natos fidere, qui rejciunt thorum.
Verùm sidereo D E O
Est qui fautor & author socij thori
Cassa est prorsus opinio,
Et demum quoq; panas ab eo graves
Fastu pro nimio sibi
Impendere sciat turba ea. Sponse sed

Te faustum ter & amplius

AUGUSTINE Themistos celebris sacra
Doctor, quod pede libero

Postos pontificis prateriens scopos

Adjungis tibi MARIAM

Splendet qua lepidis moribus, insuper

Qua vera pietatis est

Dote ornata animum; sanguine WESTPHALI
Clavi per veteri sata.

Hanc ergo reliquis posthabitis, modo

Tu, cunctis, in amore fo-
vebis, post videas ut sobolis tua

Longa stirpe propaginem.

Rumpas sollicito at pectore forsitan

Questus, qua faciunda mi,

Hac ut praedula casses subeat meos?

Verè sis pius & DEUM

Convivam benè sponsalibus accipe

Mensis: muneribus bonus

Ornabit thalamum ingentibus intumum.

Sed sus ne videar sacram

Informare Minervam, taceo, pià

Et demum prece prospera

Solemni thalamo comprecor omina.

Ioachimus Erichius Iunior Gryphisvaldensis P.
ἰουφηνίτης, honoris & amoris ergò subf.

E L E G I A.

Silugente alio pariter pietate monemur
Lugere, & mœsti prodere signa animi:
Sic lætante alio quidni moveamur eadem
Lætari, & læti prodere signa animi?
Ergo quid prohibet nunc lætæ promere mentis
Signa, novus thalami dum juga sponsus obit?
Salve Thespiadum flos illibate sororum
Sponse, sacrae Themidos gratia, gemma, decus.
Nostra tibi Clio faustos gratatur amores,
Et te præ multis faustum in amore canit.
Clara stirpe trahis genus Augustine: Peritum
Doctorem celebrat Gryphica sylva patrem:
Tu patriam amplificas stirpem virtute tuapte,
Atq; inter doctos nomina prima tenes.
Scilicet immensi sinuosa volumina juris
Voluisti cupida, non sine laude, manu.
Participem te consilij ergo principis aula
Ernesti doctæ mens amore facit.
Nunc aliud datur ecce bonum tibi: virgo pudica
Moribus, & clari stemmate nata patris.
Quin alijs ornata venit tibi dotibus uxor
In thalamum, brevitæ quæ racuisse jubet.

Ergo

Ergo tibi hanc volupe est pascis amplectier ulnis,
Et læta internæ gaudia mentis habes.
Has tibi læticias metris gratatur Apollo,
Et sonitu dulcis turba novena lyræ.
Addunt Gryphiades istis Syncharmata Musæ,
Atq; novis pangunt vota secunda thori.
His pingui placuit simul addere vota Minerva,
Gratariq; brevi gaudia tanta metro.
Sit thorus iste novus sælix, sæcundus, & expers
Ærumnæ, ast sacræ fœta quietis eat.

*Georgius Engelbertus G. P.
honoris ergò f.*

F I N I S.



